

7  
R M K III.

906

1597

R. M. K. III.

906.

Telys,  
(Serm. t.)

ΕΤΦΗΜΙΑ

Copernic.

**PIETATIS ET VIR-**  
**TVTVM ORNAMENTIS DECORO,**  
**INGENVARVMQ DISCIPLINARVM**  
**ET LINGVARVM CVM ECCLESIAE, TVM**  
**Reipublicæ vltissimarum perquam perito Viro,**  
**D. NICOLAO ABRAHAMFFI Zolyomi**  
**Pannonio, ex celeberrima VViteber-**  
**genium Academia ad suos**  
**redeunti.**

Scriptæ ab amicis & popularibus 15. octobris  
Anno 1597.

Etoſtichon continens annum, mensem & diem  
dcessus ejusdem.

Vt reDIt oCtober ter qVInIs orbIBVs aXe,  
TV VaLe LeVCoreIs Das NICoLae foCIs

**STEPHANVS KRVSCHPIER**  
*VVarbouiensis Pannon.*



**VVITEBERGÆ**  
 Typis VVolfgangi Meisneri,  
 ANNO M. D. XCVII.

1597

**D**um natale solum repetis, Nicolae, cupisq;  
Albiacis merito, longius esse locis:  
Hoc precor, ut ventus semper tua vela secundus  
Impleat, & patrijs te bene sistat agris.  
Ne dubita, nam vota DEO profusa, precesq;  
Multorum, indubium pondus habere solent.  
Ille sacris de te geniis mandavit, ut essent  
Custodesq; viæ, munificiæ, duces.  
Iam precor ut valeas longissima tempora, & oras  
Optatas patriæ salvus adito Vale,

Adamus Lebnerus d  
Kanba.



Ejeris nitoræ, uim uirina docta, Ca-  
mœna

NICLAE ò Musæ semper amande,  
mea:

Dumq; peregrinas tibi redditur ire per oras,  
Contingas patrij dum bona rura soli:  
Per loca cuncta regat te Christus Iesus, & omnij  
Defendat cœptam turbine, quæso, viam  
Sospes ut ire, tuos charosq; reuiseret Amicos,  
Optata & cunctis commoda ferre, queas  
Per te sancta DEI pubescat vinea fætu,  
Pullulet & veræ religione, fide.  
Quæ magis ut possis, robur Deus addat olympos,  
Reddat item vitæ stamina longa tuæ  
I Felix igitur domino comitante, nocebunt  
Nil tibi, sint quam vis mille perida, viæ.  
Iustorum Deus exaudit pia vota precesq;  
TV potes in patriam tutus abire tuam  
Sed quia non alias visendi copia forsitan  
Te datur ( hinc varios nam repetemus agros )  
Ergo ut amicitiæ serves bona vincula junctæ,  
Dum potes, & Musæ sis memor, oro, meæ.  
Nos vestræ memores semper. Iam pluribus histe  
Ne remorer, longum suavis Amice Vale.

Ieremias P. Lipoinus Boronius Vngarus

A 2

Aliud

**P**Ostquam S A X O N I C A s studium te traxit ad oras  
Diuinum, fato: quo nil præstantius ulla  
Dona dedere Dii mortalibus, orbe patent  
Exin LEVCORE AS , impigrâ mente, faventes  
Cura fuit S A C R A S sollicitare D E A S :  
Cura fuit secrata tibi cognoscere earum  
Omnia, cultores quæ revelare solent.  
Nil tibi ( nam faciles sunt ) subtraxere tenenda;  
Vnde tuum variâ pectus ab arte geris.  
**A L B I A C A S** igitur conaris linquere Lymphas,  
Atq; redire domum.  
Sic quia fata jubent, & sic natalia rura  
Te iam inhiare scio:  
Frangere nil nitor tua vota; at profero votum,  
I ccomitante DEO.  
Felix ut redeas, salvos repriq; propinquos  
Hoc precor ipse, tuos.  
Et patriam prudente juves ex corde, iuuentam,  
Arte valente, vale.

Albertus K. Caroli Vngarus,

#### ALIVD.

**E**s̄t virtutis opus gentes lustrasse remotas  
Moribus ut cultus sit quis & arte simul.  
Tu quoq; dum lustrasterras venerande sodalis  
Fam patiæ latus limina rursus adis.  
Dignus es ipse piūm qui præmia justa laborum  
Carpas, & Patriæ plurima dona tuæ.

Prob

**P**rob dolor, entoto virtus nunc exulat orbe,  
Virtutis vitium præmia digna capit.  
Certè Anacharsis erat doctus, tectumq; parentum  
Dum relevare cupit, sternitur ille nece.  
Justa ergo non hic virtutum præmia dantur,  
In cœlis Dominus præmia vera dabit.  
At te fata vocant; fas est perere vocantj:  
J, felix superum te piaturba juvet.  
Et Deus omnipotens chari Genitoris ad ædes  
Felicem ducat, prosperitate beat.

Michaël S. Ovarinus  
Vngarus.

#### Aliud

**P**Ostquam Castalidum lustrasti D O C T E sororum  
Tecta, tuæ patriæ scandere rursus aues,  
Ulterius non hæc Musarum tecta videbis,  
Largius Aonio nec sacra pocula bibes.  
At sic fata iubent, hominum; quæ cuncta gubernant  
Facta, nefas superis bella movere dijs.  
Qualiter immanes fertur fecisse Gigantes  
Quos PATER e cœlo, fulmine fudit humo.  
Adde quod afflictæ, Platano similis nili quis sit  
Semper opem, patriæ, cuiq; tulisse decet.  
Consiliis patriam Crassus mucrone corusco, &  
Fabricius magna cum pietate regunt  
Eloquo clarus murum fuluisse Quirini.  
Tullius, & PATRIÆ dicitur esse PARENTS.  
Ergo fatorum carpas mandata sodalis  
Tu quoq; ne patriæ commoda quæsta neges

Rumpe

Rumpemoras, animoq; graves deponito curas,  
Auxilio Christus, nam iuuat ipse suo  
Crede juvat, patrias & te deducit ad ædes.  
Salvum, quo videoas recta benigna Patris  
Iamq; vale nostri nunquam post immemor esto  
Det vitæ Dominus tempora longa Deus.

Stephanus P. Rivulinus  
Vngarus.

## A L I V D

O Animo quām fama molesta meo ferit aures,  
Et turbatis ossium medullas;  
Vna tulit quem terra: eadem foribusq; in eadem  
Mecum urbe clausit quem domus: mihiq;  
Qui paribus iunctus studiis, sacris Apolline montis.  
Doctas colit dum nostrum vterq; M V S A S;  
Is propero pede nunc aufert se obtutibus, antè  
Quos intueri maximè iuuabat.  
Nescio quo ductus fato diuellitur isthinc  
Dolor mihi quā surgit ex re amarus.  
A M V S I S cur quas alit Albis abis, tua semper  
Quæ cura summa & sola erant voluptas?  
Quo Niclae ageris nouamens tua quæ noua signat?  
Iter periclis est ubiq; plenum:  
In patriam ire paras: Scythici non arma Latronis  
Cruenta, flagrat tota quēis, pauescis?  
Si quis amor nostri est, tibi parcito, parcito nobis,  
Salus amicis cūm sit una cunctis.  
Aëra sed quid ego sine pondere vocibus ico,  
Stat fixa mens, quam fas mouere nulli.  
Te (non credibile est) adverso pectore nobis  
Ferri, subest quid; scilicet supremi  
Cura Dei, quæ consilii te retrahit alti  
Absconditā ui. Quid misellus augor?

Tendere

Tendere ita deinceps, tunc pectora  
(Virtute Pectus suauiter politum)  
Doctrinā ergò grauis simul & virtutibus auctus  
Dum uadis hinc ad patrios penates,  
Mellificæ, haud incautus, apis (laudabile) mores  
Sequi videris, Quæ velut per agros  
Peruolitat latè varios, quæ sedula thymbram  
Metitq; olentem, & flumina ore libat.  
Hinc ubi messe petit notas, per inane uolatu,  
Onusta sedes, res labore magnas  
Mirandumq; facit lectis ex floribus, arte  
Opus, satis non cognitâ cuiquam.  
Vtilis hæc tantum haud tibi, verùm aliisq; suisq;  
Iuuat (potest vt) nam suos Quirites;  
Huius mortales vescuntur munere; partis  
Fruuntur eius cœlites labore.  
NON SECVS in sacris madidos ubi rore VIRETIS  
Beante flores (macte) messuisti,  
Et licuit SOPHIAE sat ubi tibi currere in hortis.  
Dulci fluis os irrigareq; undis,  
Virtutum cultu rerum multaq; honorum  
Scientia imo & ponderosus arte  
Nunc tandem repetis Natalia rura, docendo  
Multum vt rudi lis vtilis juventæ;  
Consiliis patriæ; sentiscant templa iuuamen,  
Honorq; crescat numinis potentis.  
HVNC igitur gremio tellus o patria alumnum  
Ortum tuo, Qui dotibus coruscus  
Albiacis remans intrat tua limina ab oris  
Amplexu amico suscipe & foueto.  
Indecoris nec erit patrio nec inutilis unquam  
Solo, sed vber conferet iuuamen  
EIA AGE carpe uiam te patria gestit & optat,  
(Niclae dulcis) ciuium chorusq;

Sumere

Injuriarum) reprimet furem  
Nequitiæ Mahometigenæ, pacemq; reponet  
Almam, repulsa turbinum procellis.  
Solq; diem referet, tu sano corpore nobis  
Redderis in quo; nos tibi, videndus.  
Ultima nunc addo: mille ut gradiare per annos  
Sorpes Dū dent: sis memorq; nostri.

Ioannes Textoris Modren. Pannon.  
Sympatria & paulò ante  
contubernalis

A L I V D.

Est patria, in Lato quantum patet orbe, volucris  
Qua versum volitat dicitur esse domi.  
Dumq; natant vario fugitiui tramite pisces:  
His patriæ tellus, qua patet unda, patet.  
Sic fortior omne solum patria est, uti vivitur a quo  
Aère & haud vetito qualicet orbe fruz.  
Scilicet hæc multos seruant Solatia, terra  
Qui nimium a propria forsan abesse solent.  
Difficile est, fateor consuetudinē relinquere, firmè  
Si toleres, latio redditur ista levis.  
Nil quoq; tam durum est quod non molescat ab usu,  
Et faciles reddant fata superna vices  
Sed tamen ardenti quis non exoptet amore  
Dulcia natalis tecta videre sui?

Vt

Vt quod principium vivendi præbuit, illud  
Conseruet nutu prosperiore solum.  
Te quoq; Leucoreis iussit discedere ab oris  
Quem debes patriæ non temerandus amor  
Illa quidem sævo bellorum pressa furore  
Mavortisq; feris depopulata dolis.  
Te grata accipiet reducem Nicolae, potestq;  
Felici ex redditulætior esse tuo.  
Huic vel consilijs, vel huic succurre Camœnus  
Et quacunq; potes tristia damna leva.  
Nam Patriæ debes, quicquid tibi restat, & ipsam  
Propatria vitam ponere, laudis opus.  
Me quoq; dulcis amor patriæ, dulcesq; sodales  
Exoptant, redditum sed mihi fata negant,  
Sed mihi spes firma est, redeo si tardus, alumnus  
Accipiet quondam lætior illa suum.  
Tu prior Ifelix, letoq; insist labori,  
Fer patiens longæ multa molesta via.  
Asuetos patriæ campos, & tecta saluta,  
Pertingant salui limina nota pedes.  
Vive vale dulces inter Nicolae, sodales  
Sisq; memor nostri: jam benè vive Vale.

Gregorius Pilcius Sepusius  
Pannonius.

B

Tu

## ALIVD.

**Q**uam mihi charus erat, quo non mihi charior alter  
 Cogitur ÆTHEREVM linquere, tristis Humum,  
 Quod fuit Eurialo Nifus, Pythiasq; Damoni  
 Hoc tu perpetuo MINICOLAE mihi es,  
 Illis Unus amor fuit & mens vna duobus  
     Non veriti pro se fata subire necis.  
**O**dilecte mihi quam pro te claudere vellem  
     Fata meæ Vitæ, Quo rnis vsq; mane.  
 Num te de nostro dubius trahit error amore  
     Vt properes fratrem deseruisse tuum.  
 Nonné amor vñus erat nobis, mens vna, voluntas  
     Vna, in amore fides intemerata fuit?  
 Ne fugias quæso: ô fratrem ne desere frater:  
     Non pro te quævis horreo damna pati.  
 Num VViteberga suam tibi spem præcidit, & omne  
     Denegat auxilium? Vix reor ista fore  
 Ipsa fauore suo te non sine laude Decembres  
     Complexa est binos, dogmata bina dedit.  
 Ergone pro meritis tantis, & honoribus amplis  
     In te collatis munera tanta feres?  
 At quid in horrisonum fluvium stillo ALBIDOS vndam?  
     Fit quod fata volunt. Tempus abire venit.  
 Ito sideribus faustis comitante I B H O V A H  
     Sit comes ipsa TRIAS mi NICOLAE tuus  
 In patriam reducem faciat te Maximus ævi  
     Arbiter: Incolmis sit tua tota domus.  
 Corpore sis absens, præsens mihi mente manebis  
     Donec ad extremum me vocet hora diem.  
 Quid moror: Ito: Tuæ patriæ fer commoda magna,  
     Atq; mei semper sis in amore memor.  
 Desino plura loqui, has frater dilecte quærelas  
     Consule quæso boni: S ALVE Agè, vive, Vale.  
         Abrahamus Balwein Novi  
             foliensis Pannonus.

## ALIVD.

**P**er mare per terras, per summa pericula vita,  
     Mercator varias quærit auarus opes.  
**T**ransit & extre mos vagus ad Garamatas & Indos,  
     Ac passim toto sedulus orbe volat.  
**N**ec dubitat vigili solers tolerare labore,  
     Mille pericla sali, mille pericla soli.  
**D**ummodo magnarū ingentem conquerat opū vim,  
     Quas mare quasq; suo viscere terra fouet.  
**H**arum ubi jam multo est satiatus pondere, latus  
     Ad patrios remeat sorte fauente, focos.  
**S**ic quoq; Leucoreas te viuida traxit ad oras  
     Virtus, non ipsa nobilitate minor.  
**H**ec patriæ dulces ad tempus linquere fines,  
     Atq; animi æternas quærere iussit opes.  
**Q**uarum non alibi maior cum copia, te tot  
     Non piguit longæ ferre per clavæ.  
**N**ec te pœnitentia tantos tolerasse labores,  
     Multaq; tam forti mente tulisse mala.  
**N**amq; animum Phœbus præclaris artibus auxit,  
     Vnde tibi æternus tempore crescat honos.  
**H**inc justos justus tibi Iustinianus honores  
     Deferet, & studij præmia digna dabit.  
**H**unc siquidem ardenti semper sectatus amore,  
     Auxisti veræ nobilitatis opus.

Ergò iam tantis virtutum dotibus auctus

Ad patrij properas dulcia rura soli,  
Ipse felicitate quo splendida virtus  
Et patriæ dicit iure suavis amor.

Temanus alma DEI custos comitetur euntem,  
Ne noceat capiti vis inimica tuo:

Vt patram saluus possis contingere terram,  
Vt quod tibi, ut quod tuis commoda multa feras.

Interea quocnque tuus te traxerit ardor,  
Exulis immemorem ne sinat esse mej.

Ioannes Placbecius Mesericenus

### A L I V D

Albiacas quoniam linquis Nicolaë Camœnas,  
Et transfers patriæ pectora chara tux,  
Non indigna viro, nec tentas criminè digna,  
Dum vis Pannonios usere doctus agros;  
Te patria, & Patriæ leges domus ipsa parentis

Te reddat citius Leucoris ora, volunt.

Patria vult civem, leges decus, illa magistrum;  
Solamen vitæ vult pater atque suæ.

Aptus eris cunctis, studiorum exponere merces

Cum dabitur, sumum ac tangere Pannonium  
Polles, excellis, gaudes, clarescis & ornas,

Artibus, ingenio, nomine, iure fidem,

Quare tantarum dotum te ferre coronam

Gratulor ô animi pars memoranda mei.

Tutus iter repetes, prece numen fleximus æquum.

Tu nostri tantum sis Nicolae memor.

Amoris & honoris ergo scribebat Ioannes  
Miletinski. Straznicenus.

Aliud

### A L I V D.

Secundum cœlum ut è tumida cultori vinea vite

Iam dare vina parat:

Sic quoque tu varium post tedium longalaborum

Post lacrumasque graueis

Festus generose tuis amplas NICOLAE patronis

Soluere mentis opes.

Fallor an extremus patriæ sic postulet usus?

Anne parentis amor?

Poscit amor Patris, patri sed & inclita poscit

Cura senatus idem

Ergo quid addubites quamvis aduorsa remotæ

Sit tibi lucta viæ,

Quid dubites, inquam, natalis culta subire

Iugera Pannoniæ?

I: tuus atque animus subiectus ad alta fororum

Culmina Castalium

Respiret, postque herculeas mox præmia curas

Debita sumat ouans;

Nec dubites sumet celebrem cum tempore famam

Sumet honoris onus

Sed quid onus? num non auro quod fusile fecit

Septima flamma, rogo,

Pulcrius Hungaridum nostangere rura penatum

Vortice Leucoreo?

Pulcrius omnino: neq; te vel teste negatum

Iveris, eximia

Laus isthinc siquidem pondus quæ muneris ampli

Allevat omne, fluit.

I citus ergo iterum, celsus te IHOV A Phalange

Cinget ubiq; sacrâ,

Ille tuas rectis valeas quò passibus oras

Saluus adire, dabit,

Ille dabit lepidus inter miscerè Parentj

Dicta decora jocos,

Præterea junxit quot nobile stemma propinquos

Ille videre dabit.

Qui, velut hariolor, tanto gratiantur honori,

Quem tibi ZOLYOMAE

Vnanimi defert consensu turbacaterua

Quem ve juventa frequens,

Publica Res quo te, quo te decorare Lycaj

Ipsa theatra volunt.

Quæ te longatenet mora adhuc: I sed benè nostri,

Suavis amice, memor.

Stephanus Kruschpier

VVarboviensis Pannonius,

Aliud

NObilis Alcidæ non æque miror honores,

Dona Camilleæ non ita multa domus;

Quam tua me Nicolaë movet, tua vivida virtus  
Leucoreis duro nocta labore locis.

En Musæ occursant cincturæ tempora lauro,

Promittunt longos Numinæ ferre Dies.

Sic partus tibi crescit honos, & præmia dantur,

Pegasidum siquidem membra rigâris aquâ.

Macte ista virtute. Patrem Nicolaë juvabis

Hac, simul & patriæ damna notanda tuæ.

Gratulor ipse tibi, & Musis pia vota corono,

Te quia Pymplæi fontis honore beant.

Insuper Albiacis quoniam migraberis hortis

Et repetes patriæ dulcia rura tuæ;

Et ventos, puppesq; tibi, comitesq; secundos,

Et placidi Phœbi tempora clara, precor.

Tunostro vives uituro in pectore, donec

Volvet navigeras spumeus Albis aquas.

Ioannes Lycius Elie  
necenus.P.

## ALIVD.

T' V, mihi quem Patriæ fidei & conjunctio  
sancta.

Pierijq; breues, non sine fruge, dies  
Conjunxere, cupis patrias cur tendere ad  
oras?

Nunquid in his terris ventus iniquus  
agit?

Forsan

Forsan cura tuam tacitè coquit anxiam mentem,  
Quod Iovis hyberni subruit annus agros.  
Qui petit Aoniam magno cum pondere pubem:  
Dum positas subito copulat ille nives.  
Sed te fat a vocant tandem; quia aratra juuencis  
Pluribus haud fuerunt, ulla ligata mihi.  
Auspicijs o'vade precor mea vita, secundis.  
Numine sit puro Iuppiter inde comes.

Ioannes Messerschmidt Neo-  
sulien: Pannon:

FINIS.

